

gradus notitiam: sed omne in summo gradu positum, quintam essentiam arbitrarentur, Cum tamen non solum operandi modo in praxi: sed etiam Virtutis efficacitiam in medicina plurimum differant.

*Summorum graduum differentia unde.*

Antequam igitur De Archanis dicamus, nominis ratio nobis est cognoscenda, Cur hoc Archanum sit, quandoquidem tam preclarum nomen habere oporteat, meritoque habeat. Nominis igitur causa est: quod id solum Archanum est, quod incorporeum est, et immortale, vitæ cuiusdam perpetuæ, supra omnem naturæ intellectum, supraque captum humani ingenij. Huius definitionis ratione, hæc quoque Archana censenda sunt, quæ ad nostra corpora si conferantur, incorporea sunt, et multis modis excellentioris cuiusdam essentia, quam nostra est: sicut album nigro collatum. Potentiam enim habent nos alterandi, mutandi, renouandi, et restaurandi, similem ferè Archanis Dei, secundum ipsorum iudicium.

*Archanum quid.*

*Nominis ratio à Definitione ad definitum.*

*Virtus Archanorum.*

Quamvis autem in nostris hisce Archanis nulla sit æternitas, aut Simphonia Cœlestis: nostri tamè colatione verè cœlestia æstimari debent, quandoquidem, supra omnem humanæ rationis captum vitam nostram conseruant et protrahunt: mirabiliumque suarum in nobis operationum manifesta indicia exhibent. Hoc itaque nomen Archani, æque in medicina

*Archanum nostri respectu Cœlestis.*

L

respectu